



Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

II. Der Bischof Friedrich von Brandenburg verkauft eine Hufe in Ketzin an die dortige Kirche, am 9. April 1307.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

funt hec in urbe Brandeburch, anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXXX^o. VII^o. epacta nulla, indictione XV. concurrente II. V. Kal. Junii, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Henrico.

Nach dem Original im Brandenburger Domarchiv.

II. Der Bischof Friedrich von Brandenburg verkauft eine Hufe in Ketzin an die dortige Kirche, am 9. April 1307.

In nomine domini Amen. Cum labilis memoria et obliviosa hominum simul cum revolutione preterit temporum et euanescit, nisi ea, que sunt in tempore, perhennentur fideli testimonio scripturarum et ydoneorum testium roboramento confirmentur, hinc est, quod nos Fridericus, dei gratia Brandeburgensis ecclesie episcopus, recognoscimus et presentium tenore in publicam volumus tam presentium quam futurorum presens scriptum visuris, auditoris seu recitaturis notitiam devenire, quod nos de maturo consilio et provida deliberatione et consensu honorabilis viri, domini Johannis ecclesie nostre prepositi, Walteri prioris et unanimi voluntate et favore totius ecclesie nostre capituli vendidimus et donavimus tradidimus et legaliter dotavimus ecclesie parrochiali in Kotsin unum mansum liberum situm in campis ibidem cum omni jurisdictione et libertate, prout alii mansi eidem ecclesie sunt annexi et legitime dotati, sicut dudum nos possedimus et nostra ecclesia et antecessores nostri cum omni proventu liberius possederunt, quem scilicet mansum dominus Otto, ejusdem loci plebanus in remedio anime sue et ad perpetuam memoriam suorum progenitorum propriis sumptibus pro quindecim marcis Stendaliensis argenti et ponderis nobis ad manus plenarie bene ponderatis et numeratis fideliter comparavit. Dictam vero pecuniam in usus ecclesie nostre pro comparatione civitatis et terre Beliz noveritis conversuram. Ut autem hec venditio etc. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. septimo V Idus Aprilis presentibus viris fide dignis, quorum nomina subsequenter: dominus Johannes de Milaw nostre ecclesie canonico, Alberto Stormero nostre curie notario, domino Theoderico Gruwelhuth, Hinrico dicto de Bardeleven, Hinrico Wpach milite et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Original im Brandenburger Domarchiv.

III. Der Bischof Johann von Brandenburg bestätigt die Dotirung eines Altars in der Domkirche, am 15. Aug. 1321.

Nos Johannes, dei gratia Brandeburgensis ecclesie episcopus, universis Christi fidelibus presentis etatis et postere volumus attestatione presentium esse notum, quod dominus Henricus Wopak, miles et Gevehardus familiaris, salubriter intendentes, volentes opera justitie, virtutis preclarissime feliciter operari, unum altare in honore beati Martini episcopi ob spem salutis et gratie promerende in cathedrali ecclesia Brandenburg. appositione duorum mansorum nostra ex appro-